



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Inimicos nostros vti Christi exemplo diligamus eisqúe bona pro malis
referamus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

Psalm 54.

inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset. abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo vnanimus, dux meus & notus meus. Qui simul dulces mecum capiebas cibos, &c. Terribilē dolorem anxit, quod sub fraudulento signo pacis, & sub simulatā fiebat amicitiae figmento, quo simul Christo vehementer illuditur, eiusq; contemnitur sapientia. Nam quasi nescientem Christum, aut quid moliretur non intelligentem, credebat se fallere. Non igitur solum tradebat Christum, sed illum quoque despiciebat, imō negabat. Nam si verē eum, qui est, Dei filium & Christum credidissent, sciret proculdubio quod illum nihil cōclare potuisset. Ut vili igitur ac ignauo homini Christo imponere voluit Iudas, ac tanquā magnum decipere, dum pessimum agendo hostem, simularet amicum. Quartō, quod à foetido ore huius perfidi proditoris osculum recepit. Muldō enim grauior Christo intolerabiliorq; erat foetor oris illius, cuius cor diabolus iam malitia oppleuerat, quam eius qui putentem alteri cuiquam hominum anhelitum oris porrigit. Considera tertio, quam benigne se Dominus ad osculum suscipiendum inclinat, osculumq; eidem (vt creditur) præbet, se osculanti, dicens: *Amice ad quid venisti?* Solet hæc dictio in sacra scriptura sæpenumero ironice in malam accipi partem, vt ibi: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Et alibi: *Amice, non facio tibi iniuriam.* Et hic: *Amice ad quid venisti?* Amicum tamen non nominat, quo se, si pœnitere voluerit, paratum ad recipiendum illum ostendat. Ad quid venisti? Oscularis, & sub amicitiae signo tu insidiaris vitæ meæ. Veruntamen ne me falli putes Iuda, *osculo filium hominis tradis.* Scio quid agis, non mihi obscurum est quod versatur in corde tuo. Veruntamen fili mi reuertere ad pœnitentiam, & recipiam te: nec peccati tui recordabor amplius, sed sanguine te etiam meo lauabo, quem tu vendidisti.

Benignitas Iesu quanta.

Matth. 22.

Matth. 20.

Inimicos nostros vt Christi exemplo diligamus, eisq; bona pro malis referamus.

Inimicos nostros vt exemplo Christi placare debeamus.

A Vdita mansuetudine tanta Domini saluatoris, pijsissimi Iesu, magni Domini, creatoris mundi, super nequissimo traditore suo, quis nō emolliatur pietate in corde suo erga suum (si quem habet) inimicum? Quis posthac auerfabitur suum proximum? Quis te læsit frater magis, quam læsus à Iuda est Christus? Indulsi ille, ignouit, ad osculum recepit, benigne allocutus est, peccatum illius non exprobrauit: sed quod occultum putauerat, se non latere ipsi manifestauit: atque ad pœnitentiam, ad gratiam, ad veram inuitauit reformandam amicitiam. Hæc sunt quæ Christus te docuit. Eius igitur amore, eius exemplo, in tuo proximo, si fortasse inimicus fuerit, tu quoque ipsum imitare. Magis stude inimicum tuum verborum lenitate officioq; charitatis, quam verbis pungitiuis placare. Dissimulando iniuriam ac obliuiscendo, ipsum tibi curato reconciliare, non aut verborum asperitate, aut retributione malorum, ad maiorem amaritudinem exasperare. Ibi enim illum lucraris, & te seruas. Hic vtrunque perdis. Magna nobis est (si recte attendimus) ignominia, quod nos aduersus eos, vel qui nobis non arident, vel qui toruo aspiciunt vultu, aut verbulo aliquo offendunt, ira ita excādescimus, vt vix valeat nos quis reconciliare. Quid enim faceremus, si nos proditorem quem-

quempiam qui in mortem nos traderet, in ipso actu exercitiove proditiōnis inueniremus? Nonne illum discerneremus? Verūm quid Christus fecerit audistis, erga quem non sumus digni vt vocemur terræ puluisculi. Eius igitur exemplo fraudes machinationesq; dolosas, simulatas quoque erga nos amicitias patienter prudenterq; discamus sustinere. Imò si Christo cupimus gratias agere, quod pro nobis est traditus, satagamus eidem conformari. Verbi gratia, si quid ab eo, in quem tu contulisti beneficia, aut de quo sperabas meliora, pateris infidelitatis, aut si alium se ille atque pollicebatur aut quam tu credebas, præstat, puta, verbis signisq; volens credi amicus, dum hostem se gerat clandestinum: hunc dum deprehendis, vt vicem Christo aliquam rependas, non auerferis: sed benignum vultum, sermonemq; eidem mansuetum cum officijs amicitia, ac si nunquam fuisset insidiatus, rependas. Secundò discendum est exemplo Christi, non palam confutare eos, qui in nos delinquant, aut nobis iniqui sunt & infideles, præsertim quamdiu peccatum eorum occultum est: verum eorum improbitatem patienter feramus oportet propter Deum. Tertio, Quomodo Christus sapius Iudam generalibus & singularibus monuit verbis ad illius correctionem, ita nos quoque vbicunq; possumus, benignis verbis & affectu charitatis studeamus, licet nos offendentes, ad meliora cohortari.

Traditioni
Christi vt
gratias aga-
mus opere.

IESUS HOSTEM CVRAVIT *Arisc. X.*

TVnc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Videntes autē hi qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine si percutimus in gladio? Simon ergo Petrus vnus ex his qui erant cum Iesu, habens gladium, eduxit eum, & extendensque manum suam, & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius dextram. Erat autem seruo nomen, Malchus. Respondens autem Iesus, ait: Sinite vsque huc. Dixit ergo Iesus Petro: Conuerte gladium tuum, & mitte in vaginam in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scriptura? quia sic oportet fieri. Et cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum.

Matth. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.
Ioan. 18.

HOMILIA X.

Domino Iesu per osculum à Iuda prodito, cum viderent hi qui cum Iesu erant, hoc est apostoli, quid esset futurum, hoc est, quod pararent se, accederentq; hostes ad capiendum Iesum, interrogabant Dominum, an vellet vt gladio percuterent. Petrus licet interrogasset, seruentior tamen zelo fuit